


A 56500  
(9)

~~a. 56480.~~

A 56500(9)-1

A 56500(9)-2





1  
ACADEMIAE LVDOVICIANAE  
R E C T O R  
LVDOV. GODOFR. MOGEN,  
DOCTOR IVRIDICVS ET PROFESSOR HISTORICVS,

DE  
STATVTIS ANTIQVIS  
ACADEMIAE GISSENAE  
PAVCA PRAELIBAT,  
EX IISQVE EXCERPTA EXHIBET,  
ET AD  
PVBLICAM PRO RESTITVTA PACE DEO  
REFERENDAM GRATIAM  
AVDIENDAMQVE ORATIONEM  
DE

STATVTIS  
ACADEMIAE GISSENAE HODIERNIS  
A SE HABENDAM  
SOLEMNEMQVE

LEGVM ACADEMICARVM PRAELECTIONEM,  
QVAE

VNO EODEMQVE ACTV  
IPSI CALENDIS IVLII B. C. D. INSTITVENTVR,  
ACADEMIAE PROCERES, LITTERARVMQVE FAVTORES  
QVOSLIBET,


ITEM  
OMNIVM FACVLTATVM STVDIOSOS  
GENEROSISSIMOS ET NOBILISSIMOS

EA, QVA DECET, OBSERVANTIA ATQVE HVMANITATE INVITAT.  
PVBLICATVM DOM. IV. POST FESTVM TRINITATI SACRVM,  
ANNO MDCCLXIII.

SVB SIGILLO ACADEMIAE MAIORI.

---

GISSAE, EX OFFICINA BRAVNIANA.



27 011 233

Univ.-Bibl.  
Giessen



**S**acrosancta esse, & tanquam diuinum quid conseruanda, Academiarum ciuitatumque *Statuta*, nemo mortalium, qui ea de re iudicare potest, ibit inficias. Stabiliuerunt confirmaueruntque hanc veritatem, secula iam ante multa, viri quidam summi. Sic, quod exempli solum causa adducam, *salutem ciuitatis in legibus sitam esse*, dicit ARISTOTELES. Eiusdem sententiae est SOPHOCLES. *Nihil est, inquit, ciuitati praestantius, quam leges, recte positae. Nam & inferioris homo sortis, & qui ditior est, aequale ius experiuntur. Quae nam fortuna, quodnam solatium, o Pauperes! quae vos, quemadmodum in supremo summi Dei iudicio, ita & in foro soli, vt dicere solemus, ditissimis etiam hominibus ad perfectissimam aequalitatem redigit!*



Sed eheu, regeritis, nostri temporis conditionem, corruptamque hominum naturam. Quid proficimus legibus, latis quidem, non vero semper seruatibus? *Non aliunde, teste ERASMO ROTERODAMO, florent res publicae, quam si legum vigeat auctoritas.*

Viget legum auctoritate res publica *Giffensis* litteraria. Gaudet enim *Statutis* iustissimis prudentissimisque, ante seculum quidem, & quod excurrit, promulgatis, attamen hodiernum validis.

Si hodie de statutis *Almae Ludouicianae* loquimur, semper intelligimus ea, quae promulgata sunt, clementissimo iussu, Serenissimoque nomine **GEORGII II. Hassiae Landgrauii**, beatissimae memoriae, anno, supra mille & sexcentos, vigesimo nono, ipsis Calendis *Novembris*. Haec enim hodiernum valida sunt, si ea excipias capita, quae vel recentioribus clementissimis rescriptis abrogata, vel loci aut temporis rationi repugnant.

Sed ante dictum annum, inde ab Academiae fundatione, aliis ea gaudebat legibus atque statutis. *Statuta* igitur *Academiae Giffenae* sunt vel priora siue *antiqua*, vel posteriora siue *hodierna*. Tam de his, quam de illis, mihi sermo erit.

Illa



Illa data sunt *Darmstadii* die *Octobris* duodecimo, anno, supra millesimum & sexcentimum, septimo. Exstant in Archiuo Academiae *Giffenae* duo exempla authentica. Vtrumque, vna cum antepositis priuilegiis, in charta pergamena, forma regali eleganter scriptum est. Vnum, & praestantius quidem, decem, alterum octo, folia continet. Illud semper in Academiae, hoc in Principis archiuo seruatum est, vsque dum, latis *Statutis* nouis, & hoc quoque Academiae ad seruandum transmissum fuit. Vtrumque ipsa Serenissimi Fundatoris **LVDOVICI V.** manu propria corroboratum; & vtrique appensum est sigillum cerae rubrae impressum, cuius magnitudo pollicarem latitudinem fere quadruplicat. In hoc sigillo cernuntur *insignia Hassiaca* scuto quadripartito comprehensa, cum hac inscriptione:

*Secret. Ludouici Iun. D. G. Landgraui Hassiae, Comit. in Catzelnbogen, Dietz, Ziegenhain & Nieda &c. 1596.*

Primum locum occupant Priuilegia, idiomate germanico scripta, inter quae eminent sequentia: Academia *Giffensis* iisdem gaudeat priuilegiis, quibus *Marburgensis* à **PHILIPPO MAGNANIMO** donata est. Omnes, qui in Academia vel docent vel discunt, eorumque vxores, viduae, liberi, famuli famulaeque, Rectorem agnoscant magistra-



tum; & hic omnem in omnes academicos academicasque habeat iurisdictionem, praeter criminalem. Omnes Academiae ciues, speciatimque studiosi, in vniuerso agro *Giffensi* ius habeant venationis, non inferioris tantum, sed & superioris. Iidem omnes ab omnibus oneribus vrbani immunis sint, etiam a vectigali, libris & mercibus esculentis imposito. Iisdem oneribus exempti sint Academiae Notarius, (hodie Secretarius) Pharmacopola, typographus & bibliopegus. A sententia Reſtoris & ſenatus Academici, prouocatio concedatur nulla, niſi fiat ad ipſam Sereniſſimi Nutritii perſonam. Reſtor vna cum vniuerso Academiae ſenatu, quatuor item Facultates ſingulae, habeant ius ſigillorum, iisque vtantur ſigillis, quae Sereniſſimus Fundator ipſis conceſſerit.

Sequuntur *leges & ſtatuta Academiae Giſſenae*.  
 Constant ex vndecim titulis.

Praecipuum caput tituli I. *de Reſtore eligendo eiusque officio*, conſiſtit in eo, vt magiſtratus Reſtoris annuus ſit, & vt Reſtor eligatur Calendis *Ianuarii*, omnium vel plurium Profeſſorum ordinariorum votis & ſuffragiis; ita, vt electionis initium fiat a Theologis; hos ſequantur Iureconſulti, Iureconſultos Medici, Medicos Philoſophi.

Titulo II. *de Conſiſtorio* haec potiſſimum imperata



ratâ sunt, *a*) vt, quoties causae difficiliore in deliberationem veniant, Consistorium Rector instituat, inque consilium adhibeat vel Cancellarium Academiae & Facultatum Decanos, vel, pro rei grauitate, omnes Professores ordinarios; *b*) vt causas decidendas Rector proponat; *c*) vt vota singulis Professoribus sint libera, nec intempestiua aliorum interpellatione aut colloctionibus turbentur, multo vero minus perstringantur, sed in omnibus, vltimi aequae ac primi, audiantur; *d*) vt id, quod publica Consistorii auctoritate decretum fuerit, Rector fideliter & incunctanter exsequatur, neque ad vnius vel alterius arbitrium suspendat, multo vero minus plane intermittat; *e*) vt denique acta in consistorio, sub silentii fide, a nemine temere euulgentur.

Titulus III. *de Officio Professorum*, agit, *a*) de seruanda ab omnibus Professoribus Augustana Confessione inuariata, *b*) de controuersis theologicis, non aliter, quam pacificatio religionis ferat, ordinationesque & Recessus Imperii, permittant, mouendis; *c*) de colenda cum collegis omnibus concordia, *d*) de non negligendis lectionibus; *e*) de feriis Academiae; & denique *f*) de publica oratione die *Octobris VII.* in solennem introductionis Academiae & publicationis priuilegiorum Caesareorum memoriam, a Professore aliquo ordinario, secundum ordinem facultatum, annuatim habenda.

Titu-



Titulus IV. *de Theologorum officio*, agit de lectionibus, interpretationibus & disputationibus Theologorum, item de examinibus ordinandorum.

Titulo V. *de officio Iurisconsultorum*, agitur de lectionibus, declamationibus, allegationibus, interpretationibus, disputationibus atque responsis Iurisconsultorum.

Titulus VI. *de officio Medicorum*, est eiusdem, ratione Medicorum, tenoris; praeterea etiam in eo sermo est de anatomia, de herbationibus, atque de crebris officinarum visitationibus.

Titulus VII. *de Philosophorum officio*, agit de censura philosophica; item de disputationibus atque declamationibus philosophicis; deinde lectiones determinat, a singulis Facultatis Philosophicae Professoribus habendas.

Titulo VIII. *de Paedagogiarcha*, sancitum est, ut examina instituat singulis semestribus Paedagogiarcha, ad quae adhibeantur Decanus Facultatis Theologicae, propter doctrinam catecheticae, & Philosophi omnes, quorum iudicio in eximendis idoneis utatur; b) ut Paedagogiarcha nihil suo priuato consilio mutet ipse, sed Rectorem & Decanum, cum quid immutandum videretur, adhibeat; c) ut delicta grauiora Classicorum, cum consilio & iudicio Rectoris, puniat; &c. &c.

Titu-



Titulus. *de officio studiosorum*, amplissimus est. Praecipua eius capita haec sunt: *a)* vt singuli studiosi intra nouemdiu nomen suum apud Rectorem profiteantur; *b)* vt Rectori obtemperent; *c)* vt, si studiosus in Rectorem, magistratum suum, vel quemuis alium Professore, contumeliosus sit, de Concilii sententia relegatur, vel vt infamis prorsus excludatur; *d)* vt nemo studiosorum fidem datam frangat, arrestoue impeditus aut constrictus, sine venia, satisfactione, debitiue solutione, pedem hinc moueat, secus qui fecerit, ad valuas templi citetur, & in eum secundum leges grauitur animaduertatur; *e)* vt, si studiosus, non vocatus neque inuitatus, alienis sese nuptiis vel choreis intruserit, arbitraria, si, per id, tumultus vel rixae subsequantur, carceris poena, mulctetur; *f)* vt, si studiosus studiosum vel alium quemcunque, telo, gladio, aut quouis armorum genere, prouocauerit, - - prouocans telum aut arma Rectori cedat, - - & praeterea vel carceris poenam luat, vel mulctam pro Rectoris arbitrio soluat; *g)* vt studiosi per plateas noctu non cursitent, nec vociferentur, aut etiam petulantiam exercent, sed domi se quiete contineant, & vt in transgressores Rectori seuerae animaduersionis ius sit; &c. &c.

Tituli X. *de officio Pedellorum*, ipsissima haec sunt verba: *Pedellorum publicorum officium erit, quotidie accedere Rectorem, & ab illo mandata accipere fideliter*



literque exequi; Dum etiam si vel Ephorus in re stipendiaria, vel Facultatum Decani in publicis negotiis opera eorum uti velint, ipsis ad manum adesse; Pulsu campanae signum lectionum dare; Pedelli in Collegio habitabunt, & providebunt, ut auditoria iusto tempore aperiantur & claudantur; Omnium item diligentissimam inspectionem & custodiam habebunt; Pedelli classici Paedagogiarckam obseruabunt, & re ita postulante, etiam Rectorem; Idem ignem in Classibus instruent, diligenter custodient, & alia in classibus necessaria munia obibunt.

Tituli denique vndecimi, qui vltimus est, & de typographi officio agit, praecipuum hoc est caput, ut nihil, nisi quod singularum Facultatum Decani, ratione suarum Professionum approbauerint, praelo subiiciat & in lucem emittat.

Subtextus epilogus iubet, ut omnia, quae in hisce vndecim titulis scripta sint, solite exsequantur.

Haec est facies atque conditio statutorum, quae statim ab Academiae fundatione confecta sunt.

Sed, *Alma Ludouiciana* in dies magis magisque stabilita & proceribus aliisque membris & ciuibus aucta, mutataque ipsius sede, ea non amplius erant sufficientia. Quamobrem Serenissimus Princeps, GEORGIUS II. *Hassiae Landgravius* nouum academicarum Legum corpus publicare iussit, quod anno supra dicto factum est.

Sed



Sed prolixiora sunt atque grauiora haec nostra *statuta*, hodiernum valida, quam vt hoc breui programme de iis agere liceat.

Quoniam vero & vtile & necesse est, vt ea vobis, *Ciues Lectissimi*, specialius cognita sint, proximo die *Veneris*, mensis *Iulii* primo, ex cathedra perorabo

*de statutis Academiae Giffenae hodiernis.*


Argumentum in hocce non solum Vestris auribus, o *Mei!* est dignissimum, sed praesenti quoque tempori prorsus conueniens.

Etenim ex ipsorum statutorum praescripto verba, dicto illo die, ad Vos, *Commilitones Suauissimi*, mihi facienda sunt, legesque ab Academiae Secretario praelegendae.

Diem, quo huic praescripto morem geremus, inter festos ac sacros nostros referendi, alia insuper accedit ratio.

Est enim ille, quo, belli calamitatibus, quibus per quinque fere annos pressi sumus, bono cum Deo tandem finitis, Musas nostras e domo sua, a *Gallorum* medicis & chirurgis, eiectas in hanc ipsarum sedem reportaturi sumus.

Agite igitur, *Ciues Academiae Optimi*, frequentes ad publicam pro restituta pace Deo referendam gratiam, sollennemque legum praelectionem confluite, eandemque pia attentaque mente percipite.



Obtemperate illis Academiae legibus saluberrimis, easque, quamdiu in *Alma Ludouiciana* agitis, nunquam obliuiscemini. Abstinetes ab omnibus tumultibus, digladiationibus & a partium studio. Studium potius omne in litteris adhibete, &, non inter arma, sed inter libros conuenite. Colite bonos mores, &, quae fundamentum est omnium scientiarum & promissionem habet huius & futurae vitae, pietatem sinceram erga Sanctissimam Trinitatem.


Sed & Vos, omnium ordinum Proceres, omnesque litterarum Fautores, iam saluto.

Maxima Vestrorum Pars, Professoribus exceptis, per quinque fere annos, quibus *Collegium* nostrum aegrotantium, vulneratorum lacerorumque erat domicilium, Panegyres academicas prorsus neglexit. Nec iniuria. Nostrae enim Musae, a militibus peregrinis spretae, per id temporis spatium, e domo sua in paedagogii aedes exulatae erant. Nunc autem, vna cum restituta pace & Musae nostrae restitutae sunt. Speramus igitur, fore, vt, pacata iam re publica, actibus Academiae sollennibus denuo interesse non dedignemini. Sed quia mihi est rogandum, Vos, omnium ordinum Proceres, omnesque litterarum fautores, oro rogoque, vt praesentia Vestra Panegyrim, de qua supra dictum est, illustriorem reddere velitis.


Publicatum die *Iunii* vicesimo sexto, anno huius saeculi  
sexagesimo tertio.

SVB SIGILLO ACADEMIAE MAIORI.

que  
quot  
Vo-  
est.  
s non  
dalis,  
luere  
nim,  
ua in-  
t da-  
ugite  
tenuo  
s vni-  
rdici,  
publi-  
quam-  
nuarii  
Tanta  
uabo,  
Pascha-  
Quod  
ndam,  
n-







# Colour & Grey Control Chart

Danes Picta



**S**acrosancta esse, & tanquam diuinum quid conseruanda, Academiarum ciuitatumque *Statuta*, nemo mortalium, qui ea de re iudicare potest, ibit inficias. Stabiliuerunt confirmaueruntque hanc veritatem, secula iam ante multa, viri quidam summi. Sic, quod exempli solum caussa adducam, *salutem ciuitatis in legibus sitam esse*, dicit ARISTOTELES. Eiusdem sententiae est SOPHOCLES. *Nihil est, inquit, ciuitati praestantius, quam leges, recte positae. Nam & inferioris hominis sortis, & qui ditior est, aequale ius experiuntur.* Quae-

